

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXVII. In Qvo Christus Docet Viam In Regnum Coelorum Esse  
Angustam. Lucae. 13. v. 23.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

IL. De posteriore refert Evangelista, quomodo illi qui Iesum convenerunt, audita ipsius doctrina & visis miraculis, sibi in memoriam revocarint, quæ dudum ex Johanne audierant, unde postmodum JESUM cum Johanne conferendo, collegerint, Iesum Johanne majorem, & proinde Messiam esse. Duobus in eo colligendo utuntur argumentis. 1. *Joannes quidem signum edidit nullum.* Volunt dicere: Johannes eximius fuit Doctor, quem omnes magnificimus, & plerique pro Messia eum habere voluerunt. Sed nullis claruit miraculis. Hic autem doctrinam suam confirmat miraculis stupendis, qualia à nemine mortalium unquam sunt edita. Dubium est ergo nullum, ipsum Johannem & omnibus Prophetis esse superiorem. Agnoscent, DEUM profilio suo, quem salvatorem in mundum mislurus erat, sibi reservasse peculiares signa, ex quibus & agnoscetur & bonis omnibus commendatus redderetur. Sicut etiam Ies. id prædictis, c. 35. v. 5. Et si absque eo fuisset, quomodo discipuli Joannis à Magistro suo abstrahiri potuerint? Qui sic ægrè eum reliquerunt, & ad Iesum se contulerunt. 2. Alterum argumentum est: *omnia, quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant.* Quibus verbis Johannem verum de JESU Christo testem fuisse prædicant, quo laudis titulo majori honestati non potuerint. Nam etiam in coelis hæc summa Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum & syncerorum verbi ministrorum erit gloria, quod in his terris veri fuerunt Christi testes.

Effectum horum omnium adjicitur: *S. credere multi illic in eum.* Vocabula illuc non otiosæ hic est adjecta: sed significat ipsum etiam locum mirè profundi ad excitandam fidem. Ibi enim sibi in memoriam revocarunt, quæcumque ante triennium ex Joanne ibidem audierant. Sic enim saepi solet, ut quemadmodum quædam semina in agro non mox primo anno suppululant, sed quædam secundo, quædam tertio anno: ita etiam semina verbi auditæ in quorundam animis ad tempus absque fructu jaceret, & tantum non emortuum esse videtur. Sed progressu temporis aliis circumstantiis accedentibus, succrescere incipit, & non contemnendos fert fructus. Nullus ergo verbi minister temere de laboribus docendi properea desperet, quod non videt è vestigio fructum suarum concionum. Faciat ipse officium, diligenter, & DEO committat eventum, nec dubiter, quin ipse sit facturus, ne labor ipsius inanis sit in Domino, sicuti promisit Ies. 5. v. 10. Interim videmus hic fulcrum fidei hæc duo esse firmissima, 1. consensum & harmoniam prædictionum de Christo, quando videmus omnia esse vera quæ de ipso prædicta sunt in Mose, Psalmis & Prophetis. Eventus prædictionibus omnibus exacte respondit. 2. Miracula Christi tum vetera tum hodierna, quibus Evangelium crucis divina sua praesentia inter medios hostes conservat. Hæc duo si etiam nos attenderimus, facile in fide nostra stabiliemur, nisi ipsi nobis deesse velimus.

## CAPUT CXVII.

## IN QVO CHRISTUS DOCET VIAM IN REGNUM COELORUM ESSE ANGUSTAM.

LUCÆ 13. v. 23.

## RATIO ORDINIS.

**D**MNES Harmonici scriptores hanc historiam annectunt præcedenti versui 22. quasi illa acciderit in illa profecitione, quæ per civitates & castella docens iter fecit Hierosolymam. Neque ego ab eorum consensu recederem, nisi me moverent Lucae verba, quæ huic historiae subiunxit. Ibi enim scribit: εὐ αὐτῷ τῇ ἡμέρᾳ, eodem die, nimisrum quo ab illo interrogatus fuerat, accesserunt quidam Phariseorum, dicentes: Exti & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Hoc nullibi, præterquam in Peræ, in qua Christus postquam Hierosolymam dereliqueret, accidere potuit. Nam in Judæa & Samaria Herodes nullam habuit juris-

dictionem: Ideo ibi eum occidere non potuerit. In Galilæam autem Dominus nondum descendebat. Hanc meam sententiam de ordine confirmat etiam illud, quod Iesus ipse in communione sua contra Hierusalem inter alia inquit: *Dico vobis, quod non videbitis me, donec venerit tempus, cum dicatis: Benedic qui venit in nomine Domini.* Hoc vero factum est ipso die Palmarum, Matth. 21. v. 9. Ergo historiæ ultimi hujus trimestris sic ordinanda sunt, ne post hæc expressa Christi verba ipse dicatur Hierosolymam venisse, antequam isto cantico ab iphis fuit exceptus. Dubium itaque mihi est nullum, hunc esse proprium harum historiarum in Harmonia locum.

## QVÆSTIO, AN PAUCI SINT SALVANDI.

LUC. 13.

23. Εἶπε δὲ τοῖς ἀντρῷ, κύρε, εἰ ὅλης οἱ ἀνθρώποιοι; οἱ δὲ εἶπε ἀρρεῖς αὐτοῖς.

23. Ait autem illi quidam: Domine, an pauci sum qui salvandum consequuntur? ille vero dixit ad illos:

24. Καὶ

24. Ἀγανίζεσθε εἰσελθεῖν δια τὸ σενῆς πύλης ὅτι πολλοὶ (λέγω ὑμῖν) ζητήσασιν εἰσελθεῖν, καὶ εἰκάστου.
25. Λόγος δὲ αὐτὸν ἐγερθῆ ὁ σικυοδεσπότης, καὶ πτοκλείση τὴν θύραν, καὶ αρχόθε εἶχε ἔσαναι, καὶ κρύψει τὸ θύραν, λέγοντες, κύριε, κύριε, ἀνοίξον ἡμῖν. καὶ ἀποκλείσθε ἐρέτοις, ωκεῖς ὑμῖν, ωκεῖς ὑμᾶς πόθεν ἐσέ.
26. Τότε ἀρξεσθε λέγειν, ἐφάγομεν εὐώπιον σὺν, καὶ ἐπίλομν, καὶ ἐν ταῖς πλατείαις ἥμαν ἐδιδάχας.
27. Καὶ ἐρεῖ λέγων ὑμῖν, ὡκεῖς ὑμᾶς, πόθεν ἐσέ, ἀποσηγέρεις ἐμοὺς πάντες οἱ ἐργάται τοῦ αδικίας.
28. Εκεῖ ἐσαι ὁ κλαυθμός καὶ ὁ βαρυγμός τοῦ οδογυνῶν, οὐαν ὀψηθεὶς Αβραὰμ καὶ ἴσαακ καὶ ἴακοβ, καὶ πάντας τοὺς τροφῆτας τὸν τῷ βατιλεῖῳ τῷ Θεῷ, ὑμᾶς ἐκβαλλομένους ἐξει.
29. Καὶ ἔχονταν δέποτε ανατολῶν καὶ δυσμῶν, καὶ δέποτε βροτῶν καὶ νότων καὶ ανακλιθόσαντας τὸν τῷ βασιλεῖᾳ τοῦ Θεοῦ.
30. Καὶ οἴδε, εἰσιν ἔχατοι, οἱ ἔσονται πρῶτοι καὶ εἰσι πρῶτοι, οἱ ἔσονται ἔχατοι.
24. Contendite intrare per angustam portam: quia multi (dico vobis) querent intrare, & non poterunt.
25. Quum autem surrexerit pater familias, & clauerit ostium, & ceperitis foris stare & pulsare ostium, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis, & respondens dicet vobis: Non novi vos, unde sitis.
26. Tunc incipiet dicere: Edimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti.
27. Et dicet: Dico vobis, nescio vos unde sitis. Discedite a me omnes qui patratatis iniuriam.
28. Ibi erit flatus & stridor dentium, quum videritis Abram & Isaac & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.
29. Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Austro, & accubent in regno Dei.
30. Et ecce, sunt postremi, qui erunt primi: & sunt primi, qui erunt postremi.

## Periocha hujus questionis.

Dum servator noster Jesus Christus aliquantis-  
per in Peræa manet, ibiq; in hybernis subsistit,  
quidam ipsi hanc quæstionem proponit: Domine,  
an pauci sunt, qui salutem consequantur? Quis hic  
Quæstor fuerit, novisse non possumus: non ta-  
men ex Apostolorum, nec ex discipulorum, nec  
ex credentium numero fuisse ex circumstantiis  
historiæ manifestum est. Neque enim ex pietate &  
singulari animi devotione, sed ex curiositate, vel  
potius ex impietate hanc quæstionem movit, ea  
Dominum tentans, ut coram reliquis confundere  
posset. Nam si Dominus dixisset, multos esse sal-  
vandos, eidem objecisset; cur ergo tam paucum  
salutis præconem sequerentur? Rursus, si  
directè paucos salvandos affirmasset, culpam hu-  
jus in ipsum salutis præconem conjectaret, & simili  
alios eo lemmone offensos iri speravit, siquidem  
nemo libenter ex damnandorum numero censem-  
ravit. Dominus ergo versipellem hujus hominis  
astutiam intelligens, non directè ad propositam  
quæstionem responderet, siquidem ad salutem no-  
bis nihil prodesset, si maximè totum numerum sal-  
vandorum exactè novissimus: sed potius occasio-  
ne ex proposita quæstione sumpta, convertit ser-  
monem suum ad totius populi multitudinem, e-  
amque instituit de eo, quod cognitū magis est ne-  
cessarium, nimurū modum quo quis ad salutem  
pervenire queat, ubi simul Iudeos salutis suæ pro-  
crastinatores urget, ut ne tempus gratia negligant,  
alijs nimis sero suam negligentiam deplora-  
turos, & gentes ipsis præferendas esse. Interim ta-  
men hac responsione etiam quæstioni propositæ  
satisfecit, indicans omnino paucos fore, qui salu-  
tem consequantur: quia multi querent intrare, & non  
poterunt. Quando autem de paucitate salvando-  
rum agitur, sedulo cavendum, ne ejus culpa sive  
in authorem vel Dominum salutis, sive in hujus  
præcones conjiciatur. DEUS enim solenniter E-  
zech. 33. v. 11. per vitam suam protestatus est, quod  
nolit mortem peccatoris, sed ut is convertatur à  
via sua impia, & vivat. Paulus quoque disertè testa-  
tur, 1. Tim. 2. v. 4. quod Deus velit omnes homines  
Harm. Tom. I.

solvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.  
Præconium quoque salutis est universale. Nam in  
omnem terram exivit sonus eorum, & in fines or-  
bis terræ verba eorum. Ps. 19. v. 5. Sed omnis cul-  
pa paucitatis salvandorum residet in ipsis homi-  
nibus, qui se se ad ordinem salutis, quem DEUS in  
verbo suo monstravit & præscriptit, non accom-  
modant. Ut verè DEUS per Osseam 13. v. 9. dixerit:  
Perditio tua Israel ex te: ex me autem tantummodo salus tua. In aliis enim hominibus hæret perpe-  
tuum peccatum incredulitatis, &, quinon credi-  
derit, non salvabitur: in aliis invenitur habitus ex-  
tremæ impietatis, quorum damnatio justa: in aliis  
dominatur hypocritis, quæ probitatis simulatio in  
oculis Domini est abominatio: alii spontanea la-  
borant coecitate in luce Evangelii: alios Satanæ e-  
jusmodi immergit securitati, ut de sua salute ne gry  
quidem sint solliciti: alii veritatem agnitam rur-  
sus abnegant, his nulla relinquitur pro peccatis  
hostia ad salutem: alios studium mundanæ prospe-  
ritatis si abstrahit, ut de cœlestibus nunquam co-  
gitent: alii in peccata prolapsi pœnitentiam negli-  
gunt, & de venia atque gratia DEI desperant. Sic  
multi & varii sunt modi, quibus major pars ho-  
minum seipsum salute oblata privat, & in culpa  
est, quod, proh dolor! pauci salvantur. Sed audia-  
mus ipsum Christum hac de re differentem.

Ayavīζεθε, inquit, contendite, omnibus viribus conemini intrare per angustam portam. Innuit, varia fore obstacula (sicuti modo aliqua recensuimus) quæ impeditura sint multos, quo minus per por-  
tam gratia & salutis ingrediantur. Proinde cui-  
vis annitendum, ut veluti aliis ingressum præri-  
piat, siquidem angusta porta paucos simul reci-  
piat. Inprimis autem moras & cunctationes o-  
mnes hic resecan dasse, ne quis curam suæ salutis  
differat, sed dum ea offertur, eam singuli appre-  
hendere studeant, siquidem futurum sit tempus,  
quando porta illa gratia & salutis claudetur, & tum  
multi querent intrare, & non poterunt. Inquirendum  
autem, quænam sit illa porta, per quam ad salutem  
ingrediendum. Pontificii scriptores per por-

Ooooo 2 tam

tam intelligunt virtutem: & statuunt, quod is, qui præcepta DEI inviolabiliter servat, per portam illam ingrediatur. Quia verò carnali homini difficile sit ambulare per obseruantiam divinorum præceptorum, iccirco nominari angustam pertam. Nos verò per portam gratiae & salutis, per quam in cœlum recipimus, nihil aliud intelligimus, quam Christum Jesum, Dominum & Servatorem nostrum. Ipse enim de seipso dicit; Joh. 10. v. 9. Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Et Joh. 14. v. 6. Ego sum via, & veritas, & vita, nemo venit ad patrem, nisi per me. Ipse enim est scala illa Jacobi, Gen. 28. v. 12. quæ ex terris in cœlum protensa, facit, ut angelus Dei ad nos descendant, & nos homines in cœlum ascendamus. Per Christum enim DEUS & sibi reconciliavit omnia, & pacificavit etiam cuncta per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Col. 1. v. 20. Quærat autem quis, qui fiat, quod Christus dicitur angusta porta, cum seipsum dederit pro totius mundi vita, Johan. 6. v. 51. cum omnibus pateat, nec quenquam qui ad ipsum venit, ejiciat foras? Johan. 6. v. 37. cum denique ipsius meritum non tantum sufficiens, sed etiam superabundans sit pro totius mundi peccatis? Respondeo: Fit hæc angustia portæ non culpa Christi, sed virtus hominum. In primis autem sunt duo hominum genera, quibus hæc porta, qua pœnitentibus & credentibus sat is patens est, nimis sit angusta.

Alii turgent fiducia suorum operum & meritorum, quales sunt hypocritæ & justitiarii, quibus hoc ostium nimis est humile, ita ut per illud cum suis mercibus humanarum traditionum & superstitionum non possint ingredi, unde alias latius patentes portas querunt.

Rursus alii turgent operibus carnis, & laborant hydrope mundanarum affectionum, quales sunt Epicuræi, qui sarcinæ variiorum peccatorum ita sunt onerati, ut per angustum hanc portam non possint ingredi. Ultraque pars deponat noxiū illum animæ tumorem, sequæ juxta doctrinam Evangelii humiliet, una quidem abiciendo fiduciam propriæ justitiae, altera verò abiciendo peccatorum fasces, tum porta hæc ipsis sat is patens erit.

Illa verò Christi verba admiratione digna vindentur, quod dicit: quia multi, dico vobis, querent intrare, & non poterunt. Num ergo via salutis per arcanum aliquod Dei decretum aliquibus ita clausa est, ut si maximè omnibus modis conentur illam ingredi, non tamen possint? Inveniuntur quidam hodie, propter pudor & dolor! ejusmodi Ecclesia Doctores, qui Electionem hominum ad salutem ex nudo & absoluto Dei decreto dependere contendunt. In hoc si DEUS quæpiam præterierit, non posse eum salvari, si maximè baptizetur, oret, verbum DEI audiat, absolutione & sacra cœna utatur. Premi enim ipsum arcano illo decreto, quod sit immutabile. Num ergo Christus hic tam absolutam impossibilitatem multorum statuit, qui per portam salutis intrare nequeant, si maximè cupiant? Absit, ut putemus Christum hoc docere. Hæc enim doctrina viam eternit ad desperationem. Hoc Beda animadvertis aliud ponit glossema: Multi, inquit, querent intrare, salutis amore provocati, & non poterunt, itineris asperitate deterriti. Non inepte quidem hoc dicitur: sed

si Christi intentionem attendamus, tum res omnis erit magis plana. Christus vult excitare cunctabundos & salutis sua procrastinatores, qui semper conversionem & pœnitentiam suam incrastinum rejiciunt, & cum Judæis apud Esa. 28. v. 10. dicunt: Manda remanda, manda remanda, expecta reexspecta, expecta reexpecta, modicum ibi modicum ibi. Hos vult serua commonitione excitare, ne oblatam salutis occasionem præterlabi patientur. Futurum enim ut illa gratia & salutis porta non perpetuo pateat, sed aliquando claudatur. Id si factum fuerit, tum procrastinatores illi magno contentu & serio instabunt, ut & ipsi ad salutis gaudium intromittantur, sed frustraneum id futurum est, siquidem nimis tarde salutis negotium serio agere coepiunt.

Quando ergo illa salutis porta clauditur? Simulis in hora mortis universis in novissimo die post universale judicium mundi. Tum enim non erit amplius locus pœnitentia aut tempus salutis procurandæ: sed expectanda exacta justitia DEI, vel paterna consolatio. Dum hæc porta regni cœlorum alias cuivis patet quandiu vivit: & in genere etiam omnibus hominibus aperta sit, usque ad consummationem seculi.

Hoc ipsum Dominus eleganti parabola illustrat. Confert seipsum patrifamilias, quæ ostium sedens expectat suos amicos, quos ad convivium invitavit. Qui si advenerint, & patrifamilias animadvertisit se reliquos invitatos frustra expectare, tum surgit, domum convivii intrat, ostium claudit, & cunctatores illos agnoscere aut ad convivium admittere recusat, utcunq; ostium improbe pulsent. Hoc Judæis quoad regnum Dei in novissimo die eventurum Dominus hic disertè ipsis prædictis. Postquam enim Christus ipse cum suis Apostolis eos ad regni cœlestis convivium invitavit, atq; satis diu ad pœnitentiam expectavit, tandem ad judicium sedebit, à quo ubi surrexerit, & cum electis suis beatorum sedes in cœlo occupabit, tum præfæcti & obstinati Judæi salutis desiderio summo quoque tenebuntur, & intra numerum sanctorum, adeoque in regnum DEI se etiam admitti postulabunt, pulsantes & clamantes, Domine, Domine aperi nobis. At cœlestis patrifamilias ipsis respondebit: non novi vos, unde sis. Nam dum in altero orbe vixistis, non fuistis ex mea familia, non devote audivistis meum verbum, Evangelium meum meosque ministros persecuti etsi, sacramenta mea spreveritis, non pœnitentiam egistis, nullos fructus cœlesti doctrina dignos protulisti. Ut ergo tum ego vobis cum mea doctrina incognitus fui, sic nec ego nunc vos pro meis servis agnoscam, utcunque vel inviti me nunc Dominum nominare cogimini. Cæterum, quia hic cœlestis patrifamilias novit hypocritas esse pertinaces, & licet de peccato convincantur, multa tamen prætexere & singularia privilegia allegare solere. Ideo etiam hic prætextus illos adducit & refutat. Nam dicent Judæi: edimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et sanè Judæi hanc prærogativam habuerunt. Christus enim fuit minister circumcisioñis propter veritatem DEI, ad confirmandas promissiones Patrum. Rom. 15. v. 8. ac propterea Judæi fuerunt electi DEI peculium, sacerdotum regale, quibus & DEUS ipse & Messias se familiarissimum

mum, præ omnibus aliis populis præbuit. Vide Deut. 4. v. 7. Et tamen ex hoc populo illi, qui non sunt conversi ad Christum, in novissimo die audient: *Dico vobis, nescio vos, unde sitis. Discedite à me omnes operari iniquitatis.* Quasi diceret: Sicuti vos pro meis non agnoscam, licet me Dominum appellaturi sitis: ita etiam vos pro alienis habebo, licet externam familiaritatem in terris allegaturi sitis. In his enim regnum DEI non consistit, sed in justitia, pace & gaudio Spiritus sancti. Hac cum vos jam negligatis, vos non tantum excludam ex gaudiis regni coelestis, sed etiam procul à me *discedere jubebo, & jubendo etiam efficiam.* Quorsum autem ipsos remittere velit, explicat dum dicit: *ibi erit fletus & stridor dentium.*

Porrò quod DEUS hæc omnia in Judæos sui temporis, & quibuscum ipse conversabatur, dixerit, manifestum est. Verum quemadmodum omnia qua in scriptura annotata sunt, in nostri doctrinam scriptura sunt, ita etiam hac nos tangere non dubitemus, eaque contra malos Christianos accommodemus. Etenim hic Dominus etiam in nostris plateis, civitatibus, templis & scholis docet: ad ipsius mensam nos sedemus, manducamus panem vitae, & bibimus aquas salutares. Si qui vero professioni sua non responderint: si fidem nudam sonant; eandem autem bonis operibus fretam monstrare poterint, atque sic specimen quidem pietatis habuerint, virtutem autem ejus negarint. 2. Tim. 3. v. 5. Illis profecto, licet baptizati sint, licet se Christianos esse, professi fuerint, Christus quoque dicet: *nescio vos unde sitis. Discedite à me omnes operari iniquitatis.* Nam regnum DEI non consistit in sermone & gloriacione externa: sed in virtute. 1. Cor. 4. v. 20. Quod si vero hac tam rigidamentem rejiciendi erunt hi, qui puram habuerunt doctrinam, sed eam operibus non exornarunt: quam sententiam expectabunt illi, qui doctrinam superstitionibus & idolomania contaminarunt, atque insuper quoad opera sceleratissime vixerunt. De hoc interroget quis Pontificios.

Tandem etiam Christus pœnam disertè exprimit: *ibi erit fletus & stridor dentium.* Est hæc notatio doloris & horroris, quam impii in gehenna sustinere debent. Ut sic sciant, ipsorum pœnam non fore otiosam exclusionem ex regno DEI, ut nihilominus alibi ipsis bene sit: sed fore eam conjunctionem cum gravissimis doloribus, qui animam non minus quam corpus affligent. Cum enim utraque pars hominis peccarit, utraque etiam punietur. Et anima quidem privatione iucundissimi conspectus DEI, atque sensu ira ejus perpetuo cruciabitur, unde *fletus & gemitus orientur.* Corpus vero inextinguibilis ignis ardore torrebitur, quod *stridorem dentium concitat.* Duo vero Iesus addit, per quæ ipsorum calamitas & dolor sine augenda. Unum erit felicitas Patriarcharum & Prophetarum, de quorum progenie ipsi semper gloriati sunt, & tunc animadventent, se ab ipsorum consortio exclusos esse. Ideo dicit: *ibi erit fletus & stridor dentium: cum videritis Abraham, & Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Facit hoc plurimum ad miseriae amplificationem: quando quis alios in honore & gloria sedere vi-

det, quos se aliquo propinquitatis gradu attingere novit, se autem calamitosum esse sentit. Alterum, quod dolorem ipsorum acuet, erit, quod ipsis exclusis, qui se solos recipiendos esse somnabant, visuri sint gentes, quas ipsi pro maledictis habebant, ex omnibus orbis nationibus collectas, cum Patriarchis & Prophetis perpetua frui felicitate & gaudio regni coelestis. *Et venient ab oriente & occidente, & Aquilone, & Austrō, & accubent in regno Dei.* Acuet etiam hoc dolorem in damnatis Judæis. Quanto enim pertinaciore odio gentes ad finem usque persecuti sunt: tanto plus etiam dolebunt, quando gentes in filios Dei adoptatas, se vero abdicatos esse videbunt. Hoc DEUS ipsis minatus est per Mosen. Deut. 32. v. 21. Ipsi me provocarunt in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Postremo Christus subiungit: *ecce sunt postremi, qui erunt primi: & sunt primi, qui erunt postremi.* Pronunciat mirabilem commutationem Judæorum & Gentium, qua Judæis contra omnem suam expectationem accidet, atque admodum mirabilis videbitur. Ideo utitur etiam Adverbio admirantis, *ecce.* Per postremos intelligit gentes, quas DEUS antiquitus permisit ingredi vias suas, Actor. 14. v. 15. ut ambularent in vanitate sensus sui, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis. Epes. 4. v. 18. Hi postremi facti sunt primi, hoc est, gentes, jam non amplius vivunt in mundo sine Deo: sed in Iesu Christo, qui aliquando longè erant, facti sunt propè, sunt cives Sanctorum & domestici DEI. Eph. 2. v. 13. Per primos intelligit Judæos, qui primo in Abraham ad regnum Dei vocati sunt, postquam in diluvio prima promissio expirasse visa fuerat. Israel quoque vocatur primogenitus Dei filius. Exod. 4. v. 22. Hi primi facti sunt postremi, idque dupliciter, & corporaliter & spiritualiter. Politicè ubique locorum sunt inter postremos. Nullum habent regnum, nullam Rempiblicam, ad nulla honesta inter nationes admittuntur officia, in civitatibus, in quas recipiuntur, extremos fere angulos inhabitare coguntur, omnibus denique hominibus sunt despiciunt & irrisioni. Spiritualiter quoque sunt postremi, & omnium populorum miserrimi. Vivunt in mundo sine Deo, sine Messia, sine veritatis cognitione, saginant seipso suis nugis & fabulis Talmudicis, donec tandem sine omni consolatione hunc mundum desertunt, Deo non placent, & omnibus hominibus adverstantur. Pervenit autem ira Dei super illos usque in finem. 1. Thes. 1. v. 16. Etsi maximè interdum aliqui ex illis ad Christum convertuntur: tamen contempti vivent, quia nemo ferè ipsis fudit, quod serio Christi fidem & per eum salutem querant, cum vix vicesimus ex ipsis confessione, conversione & perseverantia testatum faciat, se verè Christianum factum esse. Quia autem hoc dictum est universale, unusquisque illud sibi applicet: & qui *primus* est, non superbiat, sed videat ne cadat & labatur: qui vero inter postremos est, non desperet, sed fide, pietate & precibus ad superiora contendat, & DEUS ipsum exaltabit suo tempore.

Harm. Tom. I.

## CAPUT CXVIII.

PHARISÆI MONENT JESUM DE IN-  
SIDIIS HERODIS,  
LUCÆ 13. vers. 31.

## RATIO ORDINIS.

**D**E consequentia hujus historiae ad præcedentem propterea non dubitare licet, quia Evangelista ipse disertè testatur, eam accidisse *enantiōnē* *herodis*, *eodem die*, quo scriba

ille de paucitate salvandorum inquisierat. Neque quicquam in Evangelistis extat, quod cum ratione aliqua hisce historiis interponi possit.

\*\*

HERODIS MACHINATIO CONTRA JE-  
SUM IPSI INDICATUR.

LUC. 13.

31. Εν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ πεσούλθον τινες Φαρισαῖοι, λέγοντες αὐτῷ· ἐξελθε, καὶ πορεύε σὺ τεῦθεν, ὅτι Ἡρόδης θέλει σὲ ἀποκτεῖναι.
32. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· πορευθήτε εἴπατε τῷ ἀλάπεχτῷ ιδίῳ· ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ οἱ ἄστες Ἀπτελῶ ὥμερον καυρον, καὶ τῇ τελτῇ τελεῖται.
33. Πλίνιος δέιμε σήμερον καὶ αὐτον, καὶ τῇ ἔχουμενη πρένεδει· οὐ γὰρ συνέχεται παραφήτην διπολέμηντα ἔξω ἱεροσολῆμα.
34. Ιερουσαλήμ, Ιερουσαλήμ η διπολεύσαταις παραφήταις, καὶ λιθοβολίσαταις ἀπεργλαμένες περὶ αὐτῶν, ποιησκού θέλησον ἀποσυνάξαι τὰ τείνα στρατοπόδια τοις τέλοντας ἑαυτῆς νοσοῖσιν ἕως τὰς πέρην γε, καὶ τὸν θελητατα;
35. ίδε, φίλετα, ώμην ὁ οἰκοῦ οὐ μάνιον ἔρημον, λέγω γάρ οὐ μῆν, οὐτε καὶ μῆ με ιδῆτε ἔως αὐτὴν, οὐτε εἴπητε, ἐν λειψηράντῳ ὁ ἐρχόμενος ἐν ὄνοματιν εἰλι.
31. Eodem die accesserunt quidam Phariseorum, dicentes illi: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.
32. Et ait illis: Ite, dicite vulpi illi: Ecce ejusdem demonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tercias die consummabis.
33. Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare, quia fieri non potest, ut propheta pereat alibi, quam Hierosolymis.
34. Hierusalem Hierusalem, que occidisti prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennas, & noluis?
35. Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quod non videbitis me, donec venerit tempus, cum dicitis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

## Periodica hujus Historiae.

IN præcedenti sermone audivimus, quam graviter Dominus Jesus Judæos monuerit, ut séposita fiducia sui generis & externi cultus, seriò contendant intrare salutis portam, dum tempus est, eademque adhuc patet: alioquin futurum, ut ea occludatur, & si ipsi neglexerint mature per eam ingredi, magno cum suo gemitu & dolore in æternum exclusos iri. Hanc commonefactionem, ut pote ex animo benevolo & salutis eorum sitiente profectam, omnes Judæi grata mente suscipere, in primis autem Pharisei, tanquam legis interpres & pietatis doctores, populo quam diligentissime inculcare debuissent, ut futurum æternum exitium evitarent. Verum ex præfenti historia patet, Phariseos illa Christi libertate sic offensos fuisse, ut subdole, quandoquidem aperta vi non audabant, ipsum ex Peræa & à se removerent, ne suis concionibus populum prorsus ab ipsis ab alienaret. Sic verò ipsi occasionem præbent, ut toti populo, in primis autem urbi Hierosolymorum extrellum excidium & internectionem denunciant, qua DEUS etiam in hac vita ipsorum ingratitudinem puniturus sit. Brevis hic est locus, sed pluri-

ma continet observatu digna: quapropter diligenter exutiendus.

1. Primo monitores considerandi occurunt, qui Domino Iesu suadent, ut locum mutet, & fugi sibi consiluat. Eodem die accedunt quidam Phariseorum, dicentes illi: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Certe de periculo quenquam mone re laudabile est, & verum veri amici officium. Sic Jonathas Davidem monuit, de patris sui Saul sanguinario proposito, & David ipius manus evanit. 1. Sam. 20. v. 9. Sie Act. 23. v. 16. Pauli sororis filius ipsum salubriter admonuit de infidei Judæorum, qui se devoverant, se nec manducatu nec bibituros donec Paulum occidissent, & liberatus est. Tales autem non fuerunt hi monitores, sed quæcumque protulerunt, ea per fallaciam & dolose proposuerunt. Nam offensi ipsius libertate qua contra Judæos docebant: & quia ea suam etiam existimationem obscurari sentiebant, tentant num hac ratione eum honeste à se removere, aut penitus ipsi os obturare, & metu imminentis mortis silentium imponere possint. Simulant igitur benevolentiam, & monent, ut sibi à periculo caveat,